



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

S. Galli, aut (ut vulgo appellant) Sangallensis Abbatia apud Helvetios longe  
potentissima, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

multa præclara & vere regia ædificia ex imis fundamentis erexit & feliciter absolvit. Templum renovavit, & insignem puteum ex quadrato marmore maximis sumtibus in singulare ac utilissimum cœnobii ornamentum fieri fecit.



**S**GALLI, aut (ut vulgo appellant) Sangallensis Abbatia apud Helvetios longe potentissima, quæ est sita intra muros urbis Sangallensis, & totam ferè Thurgoviam Comitatumq; Dockhenburgensem sub sua potestate habet, ædificari & extrui cœpta & illustrata est, non Dagoberti Magni Galliarum Regis, ut aliqui nugantur, sed Sigeberti Aufrasiæ Regis, & Fridbergæ conjugis ejus, Contzonis vel Gunzonis, Suevorum Ducis, Uberlingæ tunc temporis ad lacum Acronium residentis filiæ (quam S. Gallus à demonio liberarat) impensis, donationibus, sumtibus ac immunitatibus, ad S. Galli Scoti (de quo infra plura) Alemannorum Apostoli petitionem anno Christi 630. sed absoluta & perfecta annum Christi circiter 640. Templum, quod hodie adhucibi conspicitur pulcherrimum ac amplissimum, extructum est anno 830. consecratum anno 836. ab Hunnis vastatum ac spoliatum est anno Christi 937. Hæc Abbatia postea ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus ac Baronibus multis, imprimis vero ab Hedowige, Comitissa de Eberstein, Imperatoris Henrici Aucupis filia, ita est locupletata & aucta, ut aluerit olim Canonicos 150. & Abbas Sangallensis legatur mille equitum comitatu Argentinam esse ingressus anno Christi 1361. cum Waltherus, Baro à Geroltzeck, in Episcopum Argentinensem electus introduceretur. Dedit hoc monasterium toti Germaniæ multos eruditos homines, multosq; Episcopos Constantienses, ac variis Germaniæ monasteriis Abbates: & dicitur habere nobilissimam (studio & industria monachorum in macrocolo scriptis optimis quibusq; authoribus) innumeraq; optimorum codicum multitudine refertissimam Bibliothecam. Oppidum ipsum Sangallense annos ante quingentos fossis & mœnibus muniri cœpit: id olim in potestate Abbatis erat, nunc vero Helvetiorum Oetopagenium societati & confœderationi conjunctum est.

*Abbas pomposus.*

*Bibliotheca S. Gallensis. Oppidum S. Gallensis.*

*Catalogus  
Abbatum.*

*S. Gallus  
quis fuerit.*

lensis Ecclesiæ Abbatum catalogus à prima fundatione ad hæc nostra usque tempora talis à me ex variis antiquitatum monumentis collectus est, adjuvante me in hoc non mediocriter clarissimo viro, Domino *Joanne Mergellio*, civitatis Lindaviensis Physico, Medicinarum doctore per celebri, mihi singulari amico. S. Gallus, Scotus, S. Columbani discipulus, miraculis clarus, quæ virtute omnipotentis Verbi (quod docebat) fecit, non ipse quidem Abbas Sangallensis, sed Eremita & accolarum Acroniani lacus, Brigantinorum videlicet & Arbonensium, gentilitia idola tum colentium, concionator fuit ac primus Apostolus per annos 16. ab anno videlicet Domini 614. ad annum usque 630. quo sibi sanctus Dei vir jam senex & labore suo functus domunculam & cellam primam, seu oratorium in densissimo nemore condidit. S. Gallus ille, vir vere Apostolicus, obiit anno ætatis suæ 95. Christi vero 640. & Arbonæ (quod præclarum hodie oppidum est ad lacum Bodamicum seu Acronium è regione Mörseburgi in Helvetico littore situm) quo tauri eum traxisse leguntur, sepultus in templo suo, in quo antea Christum professus erat, multisq; doctrina & exemplo profuerat. Post mortem S. Galli inhabitaverunt hanc cellam aliqui S. Galli discipuli diversarum regionum, nullum tamen ordinem adhuc profitentes, ad annos ferè 80. inter quos præcipui fuerunt beatus Magnoldus & Theodorus quidam. Hi magnam persecutionem passi sunt ab impio Alemannorum duce, Otwino, ejusq; præfecto Erchonaldo, qui oratorium & sepulchrum S. Galli fregerunt ac sanctos Patres ibi studiis pietatis operam dantes misere tractarunt.

*Otwinus  
Alemannorum  
Dux.*

1. *S. Othmarus*, Alemannus (à Salomone, Constantiensi Episcopo, in numerum Sanctorum relatus anno 864.) primus Abbas Sangallensis constituitur à Bosone, Constantiensi Ecclesiæ Episcopo, cum ex clerico Churiensis Rhetiæ monachus factus esset. Is ex Chura Episcopali urbe missus, à Pipino Rege confirmatus est anno Christi 720. Accepit vero regulam S. Benedicti, quod ea tunc sola esset & unica monachorum omnium secta ac professio. Hic prima etiam coenobii fundamenta jecit & primas habitationes extrui fecit pro collecta ingenti monachorum

rum multitudine. Condidit verò juxta cœnobium suum etiam xenodochium pro pauperibus. Pellitur in exilium, in quo est mortuus apud Steinium anno Christi 759. regiminis sui fere 40.

2. *Sidonius vel Smodius*, Episcopus Constantiensis, qui & Divitem Augiam gubernabat unâ cum Sangallensi Abbatia, homo ambitiosus & avarus, valdeque injurius S. Othmaro, cujus omnium calamitatum (quod & caperetur & in exilium pelleretur optimus senex) solus ipse author fuit, ut testatur Abbas Augiensis, Walfridus. Obiit anno 760. dysenteria. Vide Abbates Augienses.

3. *Joannes*, Abbas Divitis Augiæ & Episcopus Constantiensis, eligitur Sangallensis Abbas anno 760. Hunc ambitiosum vocant & qui sua tantum quæserit. Præfuit annis 21. non infeliciter. Obiit anno Domini 781. Vide de eo Episcopus nostros Constantienses & Abbates Augiæ.

4. *Raudopertus*, ab aliis Werdo, monachus Sangallensis, præfuit per unum annum.

5. *Waldo*, egregius scriba Sangallensis, eligitur anno 783. Præfuit tribus annis, & postea ad Divitis Augiæ gubernationem vocatus est à Carolo Magno sub Eginone Episcopo Constantiensis: cujus tyrannidi diutius subesse non volebat, dicens Regi in faciem, se, quamdiu posset trium digitorum (quibus scriberet) vigorem & usum obtinere, non futurum sub hujus Episcopi manibus, & malle se esse scribam, quam Abbatem nullius auctoritatis.

6. *Werdo*, sacerdos laicus, præficitur ab Eginone Episcopo anno 787. Suscepit mox ordinem & præfuit 24. annis. Obiit anno Domini 811. tribus nimirum annis ante mortem Caroli Magni.

7. *Wolfoleus* sive Wolferus, Episcopus Constantiensis, antea monachus Sangallensis, præfuit per vim & tyrannidem 4. annis. Ab aliquibus, eò quod sese intruserit & parum utilis monasterio fuerit, non numeratur.

8. *Gosbertus* à Sangall. conventus fratribus electus est anno 816. sub Ludovico Pio, Caroli M. filio, qui liberavit monachos

Fff

ab

*Comites  
Montis  
fortis.*

ab Episcopo, ita ut ipsi jam dominarentur in civilibus, sed tamen in spiritualibus subessent Episcopo. Sub hoc Comites Montis fortis, Cadolochus & Bertholdus, pater & filius, liberalissimi hujus cœnobii benefactores fuerunt: quorum liberi in monasterio educabantur. Ipse cœpit ex humili cella S. Galli facere & erigere spacio septennii Basilicam S. Othmari, quæ consecrata est anno Christi 834. in præsentia Constantiensis Episcopi Wolslei, & Ulrici Episcopi Basiliensis, & Erlewaldi Abbatis Augiensis. Idem cœpit colligere Bibliothecam, ut erat literarum omnium mirifice studiosus: & sub hoc cœpit Cella S. Galli dici monasterium seu Basilica, de qua reperiuntur hi versiculi olim incisi templo:

*Justitie Gosbertus heros, fratris Winibardi  
Artibus eximiis, fascies portantibus omnes  
Pauperibus monachis lapidum calcisq; & harena,  
Ut quondam largus fecitq; Sifinnius almus,  
Hanc struxit Ecclesiam.*

Præfuit pius Abbas 21. annis, & fessus gubernationis plenusq; annorum resignavit Abbatiam fratribus, à quibus eam antea acceperat.

9. *Berevicus* conventualis eligitur in Abbatem cum consensu Ludovici Cæsaris anno 837. Exauthoratur tandem à Ludovico Austrasiæ & Germaniæ Rege, cum præfuisset annis tribus.

10. *Engelbertus* eligitur & constituitur Abbas à Lothario, Ludovici Pii Imp. filio, anno 840. Præfuit per annum, & mox à Ludovico, Rege Austrasiæ, Lotharii fratre, qui facellanus suum Abbatiam præfecit, vicissim deturbatur è cathedra.

11. *Grimobaldus*, Ludovici Austrasiæ Regis facellanus, constituitur Abbas Sangallensis anno 841. ab ipso Rege, contra fratris sui Lotharii sententiam ac decretum. Is non solum præfuit, sed & profuit huic monasterio, & multa utilia monachis consequutus est apud Regem admodum sibi clementem ac propitium. Huic primum Abbatia condita est, vulgo Palatium Abbatis dicta, quæ variis picturis illustrata postea omnium Abbatum sedes fuit, excepto Diethelmo, qui sibi prope dormitorium propriam post-

postea Abbatiam extrui fecit. Sub hoc Abbate scripti sunt multi optimi libri magnis sumptibus, & erat tum temporis Abbatia hæc Sangallensis celeberrima schola, in qua & Principum & Nobilium liberi præclare informabantur, ut essent postea & sapientia instructi & ad omnes res gerendas aptiores. Præfuit Abbatia 31. annis. Obiit anno Christi 872. Sepelitur cum tali epitaphio:

*Hic manet interius divinae legis amator,*

*Grimwaldus humilis, templum hoc qui condere jussit.*

12. *Hardmudus*, qui antea Grimbaldis administrator fuerat, Abbas designatus est à fratribus anno Domini 872. & confirmatur à Rege Austrasiæ, Ludovico. Erat doctus & amator sapientia, & librorum diligentissimus comparator, studiosissimisque Bibliothecæ locupletator. Huic Rex Ludovicus II. Meckhingum, Carolus vero Calvus Montem S. Victoris & Stammheim dedit. Cumque bene præfuisset & plurimum profuisset cœnobio per 12. annos, resignavit Abbatia gubernationem, consentiente Imp. Carolo Crasso.

13. *Bernbardus*, nobilissimus juvenis, eligitur à fratribus anno 883. confirmatur à Carolo Crasso. Præfuit 7. annis, & male vexatus ab Hattone Moguntino resignavit Salomoni Episcopo. Erant tum Sangalli multi doctissimi monachi, & ferè omnes nobiles, optimæ vitæ & honestissimorum studiorum: præcipui vero inter hos, Nodkerus & Radopertus, erant insignes chronographi & poëtæ: Tutilo item, Hartmannus, Eccardus, & Geroldus &c. Nodgerus & Tutilo pro sanctis postea sunt habiti. Tutilo erat egregius *ἀγαλλοπῆς*, musicus vero etiam absolutissimus.

14. *Salomon*, Baro de Ramschwag, Rhætus, eligitur anno 891. Fuit vir eximie doctus & author dictionarii veteris, cujus exempla sunt & Sangalli adhuc & Constantiæ. Erat Imperatoris facellanus, & qui ab Arnolpho Cæsare duodecim prælaturis, Episcopatibus videlicet & Abbatibus donabatur, Episcopus præcipue Constantiensis. Habuit sub se Sangalli 80. monachos: factus tandem & ipse monachus subjecit sibi Fabarianam etiam Abbatiam favore Cæsaris Arnolphi. Erat fundator præpositurae S. Magni, quæ erat è regione Sangallensis Basilicæ, & Præ-  
*S. Magni præpositura.*

Præposi-  
tura in  
Bischoffs-  
zell.

posituræ Episcopice cellensis ad S. Pelagiam. Fuit Romæ & inde multas secum attulit Sanctorum reliquias. Obiit tandem anno Christi 919. aliis 921. cum præfuisset 30. annis. Vide de eo plura in nostris Episcopis Constantiensibus.

15. *Hartmannus* eligitur anno 921. vir pius, sapiens & misericæ amantissimus, piæ & inculpatae vitæ, diligens in studio cum sacrarum, tum prophanarum literarum. Is præfuit per triennium non tamen integrum. Obiit anno 924.

16. *Engelbertus*, conventualis antea, eligitur anno Christi 924. Confirmatur ab Imperatore Henrico I. Sub hoc Abbate multas difficultates perpeffa est Sangallensis Abbatia, quæ & ab Hunnis vastata est anno 925. quo Wibrada ab his ipsis trucidata & martyr Christi facta esse legitur. Sed tamen Abbas in Helvetiæ alpes avari curarat è monasterio & Bibliothecam & alia, quæ erant monachis preciosiora & chariora. Abbas senio confectus resignat Thietoni anno Christi 933.

17. *Thieto* eligitur anno 933. Sub cujus gubernatione anno Christi 937. combustum est, & incendio per scholasticos excitato periit templum Sangallense maximum, quod postea S. Othmari Basilica dictum est, unâ cum turri, quam Abbas Hardmodus olim extruxerat. Præfuit per novennium, & resignavit Abbatia gubernationem fratribus suis senio jam gravatus.

18. *Cralo*, vir antiquæ disciplinæ ac magnæ severitatis, ex Decano in Abbatem eligitur ab unanimiter consentiente Conventu. Confirmatur ab Othone Magno, Imperatore anno Christi 942. ultima Maij. Erat is Thietonis germanus frater, qui de nimia severitate ac rigore à conventualibus accusatus, & quod Fabariensem Abbatiam, Sangallensi antea subjectam, amisisset, incidit in odium & inclementiam Ludolphi, Suevorum Ducis, quo ex Italia redeunte, ipse ex Abbatia cum magnis thesauris ad Cæsarem Othonem confugit: propterea Ludolphus Dux Annonem fratrem Cralonis Abbatem designavit. Cralo tandem obiit in Herisow, cum præfuisset 11. annis.

Sangal-  
lenje ca-

19. Anno eligitur anno Christi 953. à Ludolpho, Suevorum duce, vir bonus, omnibus benignusq; & beneficus. Is Hungarorum

rum metu munivit totum coenobium, & omnes ei adhærentes ædes alias mœnibus turribusq; tredecim & amplis fossis circumdedit: atque hæc fuere initia oppidi Sangallensis. Præfuit per quinquennium. Obiit anno Domini 958. Post eum Cralochius seu Cralo reductus est ab Imperatore Othone ad Abbatiam Sangallensis regimen eodem anno, intercedente S. Ullrico, Episcopo Augustano, sed fortuna ille sua recte uti non potuit. Tyrannus enim durior factus, cuidam studioso Sangallensi, Comiti Victori oculos erui curavit, factus postea in vitis omnibus hominibus, factusq; infortunatus & infelix uti corpore, sic etiam animo. Adhibebatur igitur ei in coadjutorem nobilis & eruditus vir, Eggardus de Jonschwil, ejusdem prius loci Decanus, usque in adventum & consensum Othonis Magni. Interim moriebatur Cralo Herifovii, petens, priusquam moreretur, ut sibi subrogaretur in gubernatione Abbatiam Sangallensis Eccardus, quod factum esset, nisi is malo fato ex lapsu equi crus fregisset & claudus esset factus. Superbi enim monachi volebant habere Abbatem claudicantem.

*nobium munitur & fit etiam oppidum.*

*Quo M. Augustano*

20. *Burcardus*, Comes de Lintzgow, Buchorn & Montefortii, eligitur anno 959. maximus eleemosynarius, omniumq; pauperum pater fidissimus. Hujus Abbatis temporibus omnes monasterii res pacabantur & ad quietum statum pervenerunt. Vocabatur vulgo *Ingenitus*, quod non consueto & naturali modo natus, sed ex utero mortuæ matris exectus esset, quales Cæsares antiquitus à cædendo dicti sunt. Confirmatus est, etsi juvenis, ab Othone Imperatore per baculum & ferulam. Ea enim tum ceremonia erat confirmationis Abbatum, cum Episcopi per anulum & baculum confirmarentur. Insidens aliquando ferociori equo graviter læsus est, ita ut postea per omnem ætatem claudicaret: habebat autem & claudicantem Decanum. Accidit vero, ut visitandi causa & inspiciendi mores & vitam ejus loci monachorum veniret ex mandato Imperatoris Kebo, Abbas Laurissanus, qui videns Abbatem & Decanum claudos esse, dixit per jocum, serium tamen nec invenustum, *melius esse claudicantem*.

*Abbas ingenitus.*

*Confirmationis Abbatum & Episcoporum Cerimonia.*

*Melius esse claudicantem.*

Fff 3



*re Reges  
quam re-  
gna.* claudicare reges, quam ipsa regna. Cumq; Burcardus iste præfuiſſet  
honestiſſime 13. annis, resignata Abbatia, elegit cum fratrum  
suorum conſenſu unanimi Nodgerum, cui tamen citius mortuo  
ipſe adhuc diutius ſupervixit.

*Otto M.  
Juvenem  
Abbatem  
confirmat.* 21. *Nodgerus* eligitur anno Domini 973. à Burcardo ante-  
ceſſore & fratribus omnibus, eſſi juvenis, qui & homo hilariſ &  
liberalis erat, ob quas cauſas verebatur & metuebat Burcardus,  
eum cenſuram Othonis Imperatoris ſeveri principis ſuſtinere  
non poſſe. Miſit eum ergo Spiram ad Cæſarem Burcardus cum  
commendatiſ ac ſupplicibus literis, decemq; fratribus ſenio-  
ribus & canitie venerabilibus viris. Cumq; porrectam epiſto-  
lam legiſſet Imperator, & jam præſentatus eſſet fratrum etiam  
commendatione Nodgerus juvenis, dixit clara voce Imperator:  
*is ne unus & ſolus eſt dignus Abbatie gubernatione exiſtimatus, in  
tanto etiam canitie & etate venerandorum ſenem, quos coram hic in-  
tueor, numero?* Niſi itaque interceſſiſſet filius Imperatoris una  
cum miſiſ fratribus Sangalleniſibus, non fuiſſet Nodgerus admif-  
ſus ab Othone Magno ad Abbatie clavum. Datus eſt ei autem  
baculus paſtoralis, additiſ plurimiſ conditionibus, ne videlicet  
quicquam in gravibus negotiis faceret aut ſtatueret, niſi conſul-  
to prius & conſentiente ſuperſite adhuc Burcardo: item ut fra-  
trum ſuorum collegium ſummo ſtudio ad ſevere tenendam D.  
Benedicti profeſſionem aſſuefaceret: quæ omnia diligentiſſime  
ſe facturum Nodgerus, addito etiam ſolenni juramento, polli-  
citus eſt, & ita præſtitit, ut de eo, quemadmodum olim de *Cice-  
rone*, ab Erhardo quodam, loci decano exclamatum ſit:

*O fortunatam Galli te conſule cellam.*

Sub eo Abbate aliquanto melius munitum eſt oppidum &  
monaſterium Sangalleniſe, & aliquandiu 160. viri laborarunt  
ſumma contentione in eximie muniendo loco contra omnes ho-  
ſtium inſultus. Præfuit & profuit monaſterio 8. annis, & deceſſit  
juvenis adhuc anno Chriſti 981. in Novembri. Poſt eum mox  
etiam mortuus eſt Abbas Burcardus, & Nodgerus medicus, ex  
cujus ſore ſiſte Nodgerus Abbas natus erat; pater vero fuerat  
Craloniſ ſuperioris Abbatiſ frater.

22. *Himmo* post mortem *Nodgeri* eligitur anno Christi 982. cum Imperator *Otho II.* in Italiam contra Saracenos proficisceretur. Is erat ceremoniarum & pomparum ecclesiasticarum amantissimus, adornabat varias vestes, varia cinodia, ornabatq; templum ubiq; variis picturis ingeniosisq; imaginibus, unde his versiculis celebrari meruit:

*Hoc Abbas Himmo picturis comsit & auro:*

*Hanc, Othmare, domum tuus Himmo ornavit & auxit.*

Præfuit Sangallensi Abbatia 8. annis, & obiit anno Christi 990. sexto anno imperii *Othonis III.* Monachi plangebant ejus mortem hoc versiculo:

*Reclori summo nos te committimus, Himmo.*

Ejus tumulo addita est hæc inscriptio:

*Hic bene maturo transit Pater ille sub ævo*

*Ad patriæ requiem, hic obiit Himmo diem.*

*Hinc merito nostri vigilanter habent memorari,*

*Plura loco Galli stant monumenta a cuti.*

23. *Ulricus* primus hujus nominis, quem alii *Wolricum* vocant, eligitur anno 991. & confirmatur ab *Othone III.* vir pius & qui ceremoniarum etiam erat observantissimus & studiosissimus. Aedificavit sacellum *S.* sepulchri *Dominici* cum *S. Ulrici* subterranea crypta. Hujus temporibus exerebant se adhuc monachi omnis generis artificii & opificii, nec quisquam inveniebatur otiosus. Sed scholæ incipiebant jam aliquo modo frigere & col-

*Schole  
Monachorum  
incuria  
frigent.*

labi, quod nimium esset monachis negotii cum ceremoniis, parum cum literis. Et quia *Otho III.* erat juvenis & hilari animo præditus Princeps, facile sub ipsius gubernatione omnis disciplina monastica in deterius labi & paulatim extingui coepit. *Ulricus* Abbas præfuit Abbatia 5. annis laudabiliter. Obiit anno 996. quo anno etiam *Eccardus*, celebris monachus, decessisse ex hac ad aliam vitam legitur.

*Abbas  
nullius  
pretii sibi  
similes  
ministros  
eligit.*

24. *Gerardus*, à quibusdam *Eckhenhardus*, eligitur & confirmatur ab *Othone III.* Imp. anno 996. Erat superbus, temerarius ac vere nihili homo, nullius honestatis aut virtutis amans, deturbans statim in ingressu suæ gubernationis seniores & honestiores

stiores omnes à suis officiis ac ministeriis, & in horum locum substituens ministros juvenes, lascivos, leves & domini per omnia non dissimiles. Is omnia vendens, oppignorans & aliis donans, plurimam misere dilapidavit, ita ut idcirco graviter accusatus sit à fratribus apud Imperatorem Othonem III. cujus ministerialem Comitem Mutzonem Abbas accusatus pecunia jam ante corruerat, ita, ut monachi apud Cæsarem efficere nihil possent, aut certe hoc tantum, quod Cæsar se Abbatem reprehendisse dicebat, seque sperare affirmabat, Abbatem posthac meliorem futurum, quod nisi fieret, redirent & iterum referrent de ea re monachi, tum se eum exauthoraturum & dejecturum ex Abbatia fastigio. Monachi itaque jam non Abbati solum, sed & Imperatori parum propitii his versibus satis barbaris injuriam ulciscunt.

*Monachi  
in Imperatorem  
injurti.*

*Otto Rex, tua lex quia semper venditur auro,*

*Hinc gentes frustra querunt judicia justa.*

*Otto, dum regnas, non sunt judicia regni.*

*Otto, dum regnas, regnat pecunia tecum.*

*Plus est argentum tecum, quam lex sapientum.*

*Impie Rex Otto, cur fulmina te patiuntur?*

*Te regnare dolens cur non tibi terra dehiscit?*

*Tu cum Gerardo nostro, nimis ad bona tardas,*

*Et cum damnatis uterq; precor pereatis.*

Sunt versus quidem: sed ferè his similes, quos olim ædituus quidam composuisse dicitur de novo in aram posito, & veteri abjecto, Christum repræsentante idolo, qui tales vulgo narrantur:

*Versus  
barbari.*

*O Jesu vete, olim tibi plurima dete:*

*Jam Christus novus tollit tibi staxis & ovus.*

Sed redamus ad Abbatem Gerardum. Post menses paucos venit Muzo Comes, postulans, quæ promiserat in sua calamitate. Abbas, non volens ingratus dici, tradidit Muzoni præposituram S. Alexandri, quæ erat prope Adoffum in Thurgovia, in qua tunc temporis 12. Canonici vicabant. Sed quia vulgatum hoc est, quod

*Præpositura S.  
Alexandri.*

*Non bene cum sociis regna Venusq; manent,*

Muzo

Muzo admodum impatiens monasticæ societatis, expulit illico omnes Canonicos, &

*Solus ibi pulchra dominari cœpit in aula.*

Monachi Sangallenses iterum id ægerrime ferentes, aliter se ulcisci, quàm his versibus non potuerunt, qui etsi meliores superioribus, tamen sui etiam seculi barbariem, (quæ jam ejectis veteribus studiis ubiq; dominabatur) mirere dolent.

*Cum tua te genitrix concepit, pessime patrum,*

*Hoc scio, quod totum cœlum fuit imbris atrum.*

*Sed cum te genuit, nox illa fuit tenebrosa,*

*Et quos ipse premis, dum morte fremis, lachrymosa.*

*In medio nisu si tum tua mater obisset,*

*In multis felix nimium locus ipse fuisset.*

*Nunc gemit atq; tremit, pereat ne funditus à te,*

*Et miseri misere nos istic vivimus hac spe.*

Præfuit Abbas iste annis undecim. Obiit anno Christi 1007. decima nona Junij.

25. *Burcardus*, secundus hujus nominis, eligitur anno Christi 1007. summo omnium gaudio. Is enim collatus cum Gerardo Lupo, agni nomen adipisci & hereditario jure obtinere potuisset: propterea congratulabantur ei fratres versifices tali epigrammate veterem barbariem redolente.

*Burcardo nostras Dominus commisit habenas,*

*Quippe viro jam tum sibimet per cuncta beato.*

Profuit monasterio plurimum, & restituit omnia in integrum, refarciens ea diligentissime omnia, quæ à Gerardo cum neglecta tum dilapidata erant. Vocabatur ad expeditionem contra Saracenos ab Henrico II.: profectus igitur in militiam unà cum Episcopo Constantiensi Ruthardo, etsi invitus, obiit in itinere, peste è medio sublatus, sepultus in monasterio quodam Longobardiæ, cui erat nomen Francorum monasterium. Moriebatur in eodem itinere etiam Ruthardus Episcopus. Præfuit annis viginti & uno ferè integris.

26. *Thietwaldus* eligitur anno 1028. Confirmatur à Conrado II. cujus conjux, Domina Gisela, venit aliquando unà cum filio

Ggg

fili

filio suo Sangallum, ubi honorifice excepta, humanissime etiam, & uti decuit, est tractata, in plenissimamq; fraternitatem accepta: hæc & Abbati & singulis fratribus munuscula quædam donans, se precibus eorum diligenter commendavit. Fuit Theodowaldus iste bonus œconomus, & qui diligenti œconomix administratione plurimum profuit monasterio ad annum usque 1040, quo decessit ex hac vita plenus dierum cum magno omnium luctu & desiderio.

*Abbas  
bellator.*

27. *Nodbertus* vel *Norbertus* à *Stoffeln* eligitur anno 1040, primus inter Abbates bellator in ipsa etiam senectute extrema & propter caducorum bonorum possessionem retinendam. Gessit autem bellum contra *Rumoldum*, Episcopum *Constantiensem*. Fuit fundator parochiæ *Abbatis Cellensis*, & primus, qui in salutem animæ suæ voluit sibi celebrari post mortem exequias funebres. Ampliavit *Basilicam Sangallensem*. Resignat *Abbatiam* jam decrepitus, & orat pro eligendo præposito *Ulrico*, quod & obtinuit apud fratres & Imperatorem *Henricum IV.* Postea moritur cum magno omnium fratrum luctu, qui omnia optima de hoc Abbate suo loquebantur, ut & hi scripti de eo versiculi contestantur:

*Constat Nodbertum, magna virtute refertum.  
Lac fuit infantum, juvenum dux, norma piorum.  
Ille timore Dei despexit cetera regni.*

28. *Ulricus* secundus eligitur año Domini 1071. Hujus temporibus tota *Germania* erat in armis propter discordias, quæ erant inter *Rom. Imp.* & *Pontificem*, & quod *Rudolphus Suevorum Dux*, Comes *Rinfeldensis*, contra *Henricum IV.* erat electus Imperator, à quo ipse *Rudolphus* victus & cæsus est. Erat iste *Ulricus* inter medias etiam bellorum tempestates & procellas, pecuniarum ut nervi bellorum diligentissimus collector, sed quas *Abbas Ulricus* successor egregie perdidit & decoxit bellis nimirum ac diffidiis, dum se opponeret *Rudolpho Suevorum Duci*. Unde scholastici monasterii faciebant hos versiculos de utroq; *Ulrico* invicem succedentibus.

Ter-

*Tertius Ulricus tenet aurum, quod sibi amicus  
Præcedens cumulat, mox quod & ipse voravit.  
Extractum cella rapuerunt horrida bella.*

29. Mortuo Ulrico secundo, eligebatur à quibusdam fratribus *Leutholdus*, quem etiam Rex *Rudolphus* (qui contra *Henricum IV.* Imperator designatus erat) confirmatum esse volebat. Eligebatur is anno Christi 1076. Adhærebat autem major pars fratrum *Sangallensium* *Henrico* Imperatori, apud quos non magnificabat *Leutholdus*. Accidit itaq;, ut una dierum baculus pastoralis (per quem erat ei collata *Abbatia* per Regem *Rudolphum*) contractus inveniretur in *Basilicæ* choro. Ejectus igitur à *Cæsareanis*, ab *Ecchardo* *Divitis Augiæ* *Abbate* (qui regias partes fovebat) humaniter exceptus est. Is *Ecchardeus* multa pollicebatur *Leutholdo*, defensionem videlicet & restitutionem: sed omnia hæc promissa

*Et frustranea erant le vibusq; smillima fumis.*

Igitur *Leutholdus* ille non numeratur inter ordinarios *Abbat*es. Eligebatur autem ab ipso Imperatore *Henrico* & à fratribus *Sangallensibus* unanimi consilio *Ulricus tertius*, *Marquardi*, *Carinthiæ Ducis* filius, Imperatoris cognatus, anno Domini 1077. Is erat ferox juvenis & bellator, qui se *Rudolpho* Regi & *Ecceberto*, *Abbati* *divitis Augiæ*, aliisq; etiam *Sueviæ* regulis magnaniter opponens, egregie consumpsit & dilapidavit omnes, quos antecessor *Ulricus* secundus post se reliquerat, ingentes pecuniarum thesauros. De his bellis omnibus consule *Stumpsum* & *Hermannum Contractum*. In his ipsis regni concertationibus ac bellis civilibus *Rudolphi* exercitus aliquoties armata manu invasit, oppugnavit, expugnavit & diripuit monasterium ac oppidum *Sangallense*, & ædificabatur in sublimi monte, quem *Pernegiam* vocant, castrum præfidiis munitum, ad retinendam oppidi & monasterii possessionem. Tandem vero *Rudolpho* in *Turingia* victo & ab *Henrico IV.* *Mersenburgi* cæso, castrum id à regis extractum, iterum eversum & solo æquatatum est. Sperabant jam omnes homines finem bellorum, &

*Sangallum expugnatur & diripitur.*

*Post pluvias Solem nitidum post nubila Phœbum:*

Ggg 2

Sed

Sed longe majores turbæ subsequutæ sunt. Imperatoris enim Henrici IV. hostes à Pontifice magis excitati & incitati, designarunt rursus Imperat. alium contra Henricum, cæso etiam jam & quasi divinitus punito Rudolpho, Hermannum videlicet, Comitē Lutzelburgensem, cujus gubernatio etsi etiam non erat diuturna, tamen is quoq; ab aliis excitatus ejiciebat ex Abbacia Sangallensi Ulricum tertium illum, quem præfecerat Henricus Imp. & in ejus locum eligebat *Wernberum* quondam divitis Augiæ monachum, idq; anno Domini 1083. Laborabat vero Abbas Augiensis Ecchardus pro restituendo suo etiam Leutholdo, sed frustra. Nam Ulricus Abbas contra utriusq; & Hermanni & Ecchardi machinationes vicit, etsi interim tota Thurgovia, per hos tumultus decennales etiam miserrime vastaretur. Anno enim Christi 1086. Ulricus Abbas auxiliis Henrici Imperatoris Patriarcha Aquilejanus declaratus, potentissimus factus est, ita ut jam facile hostes suos vincere, & possessionem Abbatiæ Sangallensis retinere posset salvam & incolumem. Sub hoc ipso Patriarchatu suo ædificavit, fundavit & dotavit in Sangallensi suburbio templum S. Fidis: & tandem moriebatur in Decembri anni post natum Christum 1117. cum 40. penè annis Abbatiæ Sangallensi præfuisset.

*Abbas fit  
Patriar-  
cha Aqi-  
lejanus.*

30. *Manigholdus* à Bottsteten eligitur per discordias anno Domini 1117. ab aliqua Conventualium parte: ab altera vero parte eligebatur frater *Henricus de Duello*. Hunc fingebant ab ipso vivente adhuc Patriarcha esse gubernationi destinatum, præsentatum igitur Henrico IV. confirmari eum petierunt, quod & facile impetrarunt. Interim Pontificii vociferabantur, non pertinere ad Cæsares, sed ad Pontifices Abbatum & Episcoporum confirmationes: hi auxiliis Conradi à Zeringen, ducentis equis juvenem monachum Mangoldum in monasterium introduxerunt. Quam pompam & violentiam cum videret Henricus, cessit ille isti furori, & per Lacum navigans, ad Zilium secessit, expectaturus illic Tragœdiæ hujus castostrophem. Mangoldo introducto omnia jam commendabantur, etiam illa prædia quæ ultra Lacum sita illis erant. Audiens autem Henricus Imperator gravissimam

vissimam hanc diffensionem, & certior factus, quod Henricus fraude & falsa praxi sese in istam gubernationem intrudere voluisset, & ita temere Imperatori confirmandū obtrusisset: Item, quod Mangoldus violentia rapuisset Abbatiam, introductus tot equis à Conrado de Zeringen; sustulit, cassavit, & irritam fecit communi omnium suffragio utriusq; electionem. Mangoldum tamen de novo confirmavit. Henricum autem ad duplicis aquæ monasterium redire iussit, & ibi expectare Mangoldi mortem. Præfuit autem Mangoldus undecim annis, & valedixit vitæ isti mortali anno 1128. sepultus in facello S. Osvaldi. Henricus post Mangoldi mortem rediit ad Sangallum, & successoris Wernheri vicetennens & coadjutor constitutus est.

31. *Wernherus* antea custos monasterii, nunc Abbas designatus, anno 1128. à Lothario Imperatore confirmatur. Erat vir sapiens ac admodum severus. Conabatur reformare monachos, qui jam multum remiserant de priori in studiis, diligentia, & honestate vitæ, & omnia injustum ordinem & pristinam harmoniam restituere, sed frustra omnia. Nam monachi jam nullam reformationem ferre volentes restiterunt ei fortiter, & summo eum odio sunt prosequuti. *Otho Frisingensis* scribit, monasterium hujus Wernheri temporibus opulentissimum fuisse, quod verisimile inde esse apparet, & colligi potest, quod Wernherus iste ante muros Sangallenses fundarit, & suis sumptibus extrui curavit præposituram S. Leonhardi, quæ erat regularium aliquot Canonico-  
*Præpositura S. Leonhardi.*  
rum habitatio ac cœnobium: quod tamen Abbatis Cunonis tempore iterum propter bellicos tumultus desertum est, cum florisset annis 350. Annui reditus sunt Sangallum translati. Postea eversum est penitus unanimi S. P. Q. Sangallensis sententia anno Christi 1530. Idem ex arce Ittingensi monialium cœnobium fecit, & Collegium 12. regularum Canonicorum. Præfuit annis 38. Obiit sexta Julii, anno à nato Christo 1166.  
*Ittingen Cœnobium.*

32. *Ulricus* quartus, Baro à Tegernfeld, in agro Tigurino natus, eligitur à fratribus communi omnium consensu, & confirmatur à Barbarossa Imp. anno Christi 1166. Erat homo superbus, amans pomparum & ambitiosus, ut nobiles ferè esse solent:

Ggg 3

ita



ita ut etiam ad Episcopatum Curensem aspirarit & ejus gubernaculum consequutus sit. Præfuit Abbatiae 33. annis, & resignavit eam suo Vicetenenti seu præposito redituum cum consensu totius Conventus. Episcopatum non diu retinuit, detrusus per sententiam concilii, Romæ ab Alexandro III. Pont. celebrati, in quo decretum erat, ne quis prælatus duas pluresve haberet prælaturas, cui decreto nunquam tamen obtemperatum est, quemadmodum ne hoc quidem seculo obtemperatum.

33. *Ulricus* quintus, Comes Veringensis, eligitur & confirmatur anno Christi 1199. Erat sumtuosus & malus œconomus, dilapidator nimium prodigus bonorum Ecclesiasticorum ita, ut arbitrarentur monachi, Gerardum ex mortuis revivisse. Præfuit non per totum annum, sed paralyti tactus subitanea morte interiit. Et quia multa absumserat, oderant eum monachi plerique, qui ejus mortem tali celebrabant epigrammate:

*Qui jam consumis terram, quàm nunc bene dormis?*

*Fortassis virvus trivisses tempus in horis:*

*Sed te, ne damno calcas limina Galli,*

*Ira Dei jussit maturo funere tolli.*

34. *Henricus*, Baro de *Klingen*, eligitur à Conventu & confirmatur à Philippo Imperatore, Friderici Barbarossæ filio, anno Christi 1200. Bonus œconomus, non quidem doctus, sed alioqui in fatis digna autoritate. Præfuit 4. annis, quibus ab antecessore pro 200. marcis oppignoratas curtes redemit feliciter. Legitur in his 4. annis in regum expeditiones, sine tamen monasterii sui detrimento, octingentas & quadraginta marcas puri auri expendisse. Unde admiratione ducebantur monachi, eum tamen ab antecessore dilapidata tanta felicitate potuisse in tam brevi tempore recuperare. Obiit anno 1204. in Novembri.

35. *Ulricus* sextus, Baro de *Saxen*, Sangalli educatus & doctrina insigni præstans, eligitur in Abbatem omnium consensu anno Christi 1204. Studuerat diu Parisiis & Bononiæ. Basileæ confirmatur à Cæsare Philippo. Isque primus fuit, quem diplomata & veteres scripturæ Principem vocant. *Conradus enim de Fabaria*, parochus templi ad S. Othmarum, sic de eo scriptum reliquit:  
Apud

Apud Basileam Philippo Augusto præsentatus, honorifice ab ipso cum suis accipitur & in Principem promovetur. Bellum gessit contra Wernherum, Episcopum Constantiensem, in quo aliquoties pugnatum est post mortem Philippi Imperatoris. Misus est Romam aliquando à quibusdam Principibus, ubi ab Innocentio Pontifice infula Episcopali coronatus est: antea enim monachi hi nulla ornamenta Pontificalia habuisse leguntur. Præfuit 15. annis. Obiit anno Domini 1219. vicesima secunda Septembris. Sepelitur ante ædem S. Othmari cum tali epitaphio:

*In vida petra, nimis cur tantum claudis honorem,  
Equiparem minimis, nec summis inferiorem.*

36. *Rudolphus*, Baro à *Gutingen*, eligitur anno Domini 1219. Emit pecuniis etiam Episcopatum Curientem, primus in hoc loco indulgentiarum distributor anno Christi 1225. Fuit negligens rerum suarum œconomus & dilapidator pecuniarum plurimarum, propter quod cum ei sui adversarentur, profecturus & querelas delaturus ad Cæsarem Fridericum (quicum in Apulia bella gerebat) incidit in itinere in gravissimum morbum, quo Romæ obiit 17. Septembrium anni à nato Christo 1226. sepultus apud S. Joannem in Laterano. Reliquit monasterio debita mille & quadringentarum argenti marcarum.

37. *Conradus de Busnang* eligitur anno 1226. Confirmatur Uberlingæ ab Henrico Cæsare, Friderici secundi filio, cuius factus est Abbas iste etiam consiliarius & ministerialis, quia etsi non doctus, tamen egregia corporis statura & versutus, prudens & facundus erat, & ubi consilium deerat, ibi temeritate vincere non erubescibat. Cum rediret à confirmatione, exceptus est à fratribus his versiculis:

*Lux fratrum, patriæ decus, & pater in chryse salve,  
Ad caulas proprias venienti pangimus odas.*

Monastica vita jam tota in deterius mutatur: à studiis enim literarum ad res profanas, ad œconomiam & ad multas ceremonias sese conferebant, quotquot coenobio inerant. Erat Abbas iste homo superbus, inquietus, & adeo vindictæ cupidus, ut de eo monachus quidam scripserit, quod nullius unquam hominis

fine

*Abbas  
Principem se  
vocat.*

sine talione susceperit injuriam. Erat insignis tyrannis, & primus, qui ipse se aperte coram regni etiam Principibus solebat Principem appellare. Obiit cum omnium suorum subditorum maximo gaudio Sangalli anno Domini 1238. circa finem Decembris. Sepelitur in monasterio Sabensvilenfi, ut ante expirationem petierat.

*Ordo Præ-  
dicatorum  
quando  
cepit.*

38. *Waltherus de Truttberg* eligitur non sine discordibus sententiis anno 1239. sed qui numerabat, facile vincebat. Confirmatur Ravenspurgi à Conrado Imp. Friderici secundi filio. Resignat Abbatiam, quod nollet bella gerere contra Comitem Döckhenburgensem se fortiorem, qui sibi eripuerat Wilense oppidum. Factus est monachus Ordinis Prædicatorum Constantiæ anno Domini 1245. Tum enim nuper cœperat ordo iste, & putabant miseri homines, se vivos mox volaturos in cœlum, si morerentur in eo professionis & vitæ genere.

*Abbas  
bellator.*

39. *Bertholdus* à Falckenstein, ex Hercynio nemore ortus, eligitur anno Christi 1245. Confirmatur ab Henrico Rege Thuringiæ, pugnante tum in Suevia contra Conradi Imperatoris socios. Erat impiger & strenuus bellator, nihil habens monasticum, nisi cucullam. Obiit anno Christi 1271. sepultus sine omni honore, cum summo omnium suorum gaudio. Præfuit annis 26. quibus plurima gessit bella, homo seditionum & cædium avidissimus.

40. *Ulricus* septimus, nobilis à Gutingen, eligitur anno Christi 1271. ab unâ parte fratrum; ab altera eligitur *Henricus* à *Wartenberg*. Ex illa discordi electione natum est bellum, quod tamen æternus Deus diremit, misertus tandem miseræ & sub talibus pastoribus male pastæ plebeculæ. Henricus enim Arbonæ agens moritur post biennium. Eligebatur autem contra Ulricum alius, *Rumo* dictus seu *Rumaldus*. At rejici se Ulricus non est passus. Præfuit igitur cum summa difficultate 4. annis & 8. mensibus, valedixitq; vitæ, anno Christi 1275. sub Rudolpho Habsburgio Imperatore.

41. *Rumo* seu *Rumoldus* à Ramstein eligitur jam concordibus omnium votis ac suffragiis anno Christi 1275. Erat invisus Rudolpho

dolpho Imperatori, quemadmodum & totum monasterium Sangallense, propterea quod antea etiam Abbates aliquoties ei nondum Imperatori fuerant injurii & molestissimi. Præfuit annis fere quinque; & cum ipse metueret exauthorationem, resignavit sua sponte (quæsitæ sibi requie) gubernationem anno Christi 1279. Sub hoc coepit S. Catharinæ monialium collegium, quod erat

S. Catharinæ Cœnobium Sangallense.

42. *Gulielmus*, Comes de Monte forti, eligitur anno 1279. Fuit homo mire inquietus, & multarum seditionum bellorumq; author, de quibus vide *Stumffium*. Obiit tandem anno Christi 1299. cum extra & intra gubernationem præfuisset, aut Abbatis certe nomen sustinuisset annis viginti.

43. *Henricus* secundus, à Ramstein, præpositus antea portæ Sangallensis, eligitur anno Christi 1299. homo temerarius & audaculus, insignisq; tyrannus: liberalis alioqui & sumtuosus. Gessit etiam quædam bella: tandem in senectute pacificus & bonus œconomus factus. Præfuit annis 19. Obiit anno Domini 1318. anno vero ætatis suæ 90.

44. *Hildeboldus* à Werdenstein eligitur an. 1318. Erat vir pacis amans & quietus, quiq; mediocriter præfuit Sangallensi Abbatia, tandem paralyti & apoplexia tactus, etiam rationis factus est expers. Præfuit monasterio annis 12. penè, & obiit anno Domini 1329. Fuit liberalis in dandis elemosynis.

45. *Rudolphus* secundus, Comes à Monte forti, antistes Constantiensis, vir industrius ac strenuus, præfuit summa cum laude 4. annis. Vocabat se tantum præfectum. Resignavit gubernationem anno Christi 1333. Erant hoc tempore tres electi, qui omnes passi sunt repulsam.

46. *Hermannus*, Baro de Bonstetten, eligitur anno Domini 1333. Confirmatur ab Episcopo Constantiensis. Obiit anno Christi 1360. cum præfuisset annis 27.

47. *Georgius* à Wildenstein & Wartenberg eligitur anno Dñi 1360. Obiit anno 1379. cum præfuisset annis penè 19.

48. *Chuno* à Stoffeln eligitur anno Domini 1379. homo proceræ & insignis staturæ, robustus & longe ambitiosissimus. Excitavit

H h h

citavit

citavit maximas feditiones, & author fuit maximarum vastationum. Bella gessit contra Abbatiscellenses, à quibus victus, captusq; & tandem iterum in gratiam receptus, suæ dignitati (intercedentibus tamen certis conditionibus) restitutus est. Obiit anno Christi 1411. cum præfuisset 32. annis.

49. *Henricus* tertius, Baro de Gundelfingen, eligitur ob Conventualium defectum à monasterii Vasallis & à fratre quodam converso in Abbatem, anno Domini 1412. quia diu nemo volebat suscipere loci tot dissensionibus occupati gubernationem tam laboriosam & plenam periculi. Confirmatur à summo Pontifice. Erat Abbas doctus, sed mundanarum rerum gubernationis ignarus. Potuisset esse egregius Abbas superioris seculi, quo adhuc florebat in monasteriis pietas & studia. Jam, quia bellis & armis tantum erant occupata monasteria, nihil valebat ille profusus: erat omnibus hominibus blandus & amicus, omnibusq; ex æquo charus. Hujus temporibus congregata & celebrata est synodus Constantiensis illa magna, in qua combustus est *Joannes Hus*. Abbas iste rogatus misit ad concilium Constantiense multos bonos & maximi pretii libros, sed non rediere illi ad suam patriam. Erat vir mitis & pius, qui nec contendere nec bellagere volebat: igitur accusabatur à fratribus suis in Concilio, quasi negligens rerum monasterii administrator & nimium benignus. Resignavit ergo Abbatiam ipsi concilio, & se quieti dedit anno Christi 1417. cum præfuisset quinq; annis dextre & optime. Mitebatur autem ex Concilio Conradus quidam Biganiensis, qui cum aliquandiu ibi versaretur & videret mores Sangallentium monachorum, qualesq; essent homines Abbatiscellenses (cum quibus erant bella intestina & dissensiones monasterio) relicta Abbatia, Constantiam rediit.

50. *Henricus* quartus, Misnensis ex Mangsdorffo natus, mittitur ad petitionem Vasallorum coenobii, deficientibus jam monachis, ex concilio ab ipso Pontifice, & suscipitur eligiturq; anno Domini 1418. Proficitur ad concilium Basiliense, & moritur in itinere Friburgi sub cura medicorum ejus loci, anno Domini 1426. cum præfuisset 8. annis. Eodem hoc anno Franciscani insti-

instituti Beginarum domus, S. Leonhardo dicata, prope Sangal-  
lum coepit, cujus fundatrix & author erat pia quaedam foemina  
Margareta Rudeckherina. *S. Leonhardi Cœnobium.*

51. *Egolphus Blawerus*, patria Constantiensis, è S. Blasii cœ-  
nobio ex Hercinia assumtus, eligitur præfidente adhuc ægroto &  
graviter decumbente Henrico, anno Domini 1425. Ornavit is  
monasterium, præcipue vero Basilicam, novis & eximiis structu-  
ris. Obiit anno Christi 1442. in ipso festo Pentecostes, cum præ-  
fuisse mediocriter annis 17.

52. *Gaspard de lato Landenburgo*, familiæ insignis & opulentæ,  
eligitur anno Christi 1442. monachus primum divitiæ Augiæ,  
postea etiam Sangallensis, homo doctus, præcipue tamen Ponti-  
ficarum legum cognitione clarus, vir lenis & humanus, librorum  
& literarum amantissimus, contentionum hostis, pacis autem &  
tranquillitatis studiosissimus, quod monachis valde displicebat.  
Interrogatus, cur non amantior pomparum esset & paulo studio-  
rior dignitatis & magnificentiæ suæ, respondit hac *D. Bernhardi*  
sententia: *Monachos debere esse monachos, hoc, est solitarios homines* *Monachi*  
*es soli Christo deditos, non opibus, contentionibus aut similibus studiis quales esse*  
*à Deo prohibitis.* Etsi verò pacis esset amantissimus, tamen à fedi-  
tiosis fratribus ad contentiones cogitur, in quibus factum est, ut  
Pontificia autoritate deturbaretur ab officio, ita tamen, ut ipse  
nomen Abbatis retineret, alius autem rebus omnibus præfisset,  
quod ipse literarum studiosior quàm administrationis curarum  
non difficulter accepit anno Christi 1458. cum solus præfuisse  
annis prius 16. Numerabantur ei annuatim trecenti aurei cum  
cibo & potu sufficienti & necessario. Præficitur autem guber-  
nationi *Ulricus Rösch / Wangensis* cujusdam pistoris filius. Is  
non erat doctus, sed homo versutus & ad res civiles & mundanas  
gerendas præclare & cum omnium admiratione callidus. Is fuit  
præfectus monasterii & utilissimus œconomus ad annum usque  
1467. Tum enim ab ipso *D. Gaspard Abbate* adhuc vivente, sed  
sene decrepito Abbas etiam eligitur Sangallensis.

53. *Ulricus Rösch / Ruffus*, eques, statim post electionem  
Romam petit & ibi confirmatur à Pontifice *Pio II.* Consecratur  
à Car-

à Cardinali Cufano 25. Martii anni 1467. Dum ille est Romæ, moritur Constantiæ Abbas Gaspar in ædibus fratris sui Hermannii à Landenburg. Is Sangallum vehitur & ibi sepelitur. Ullricus Roma reuerfus optime ac utiliffime præfuit, emitq; ad monasterium totum Comitatum Dockenburgensem & alia multa. Erat mirus artifex acquirendorum bonorum temporalium & comparandarum pecuniarum, & homo in omnibus rebus perficiendis longe feliciffimus. Cœpit tandem ædificare & de se nominare Præposituram Roschachianam, ad lacum Acronium fitam, anno Christi 1487. Ornauit monasterium multis picturis. Obit in oppido suo Wil anno Domini 1491. cum præfuiſſet 28. annis, ætatis suæ 65. Sepelitur magnificentius, quam ullus suorum antecessorum Sangalli: appellabatur vulgo *der rodt Uli*. De ejus magnificentia & vere heroicis actionibus huius Poëta quidam sic:

Roschachianæ præpositura.

*Wolrichum hunc dubito monachum dicam, anne monarcham.*

*Veste fuit monachus, corde monarcha fuit.*

*Terra parens igitur diuisim excepit utrumq;*

*Quando ipse in cœlis esse monarcha nequit.*

Iste Abbas locupletavit monasterium, & ita profuit ei diligentiffima sua gubernatione, ut monachi eum secundum fundatorem appellare non dubitarent.

54. *Gothardus à Glattburg*, ex vetustiffima familia natus, eligitur anno Domini 1491. vir humaniffimus, forma & statura corporis magnificentiffimus. Petit statim Romam & ibi confirmatur à Pontifice. Erat bellator, pomparum, equorum, conviviorum & feminarum amantiffimus. Roschachianum cœnobium à Sangallenſibus civibus semel exustum reædificavit. Tumulum S. Galli refecit, auro que & argento ossa ejus decoravit. Præfuit monasterio 13. annis. Obit morbo Gallico in oppido Wilenſi anno 1504. Sepelitur Sangalli.

55. *Franciscus Geisbergerus*, Constantiensis cuiusdam civis & militis aurati filius, eligitur anno Domini 1504. decima nona Aprilis, vir quietus & verecundus. Confirmatur Romæ à Pont. Max. Hujus temporibus anno nempe 1529. spoliata sunt templa San-

Sangallensia à Cinglianis iconomachis. Secessit igitur Abbas ad <sup>Cingliani</sup> Roschachium: ibi obiit anno Domini 1529. hydropicus. Sepe-<sup>iconoma-</sup> litur Sangalli in festo Paschatis. Celebratus est propterea, quod <sup>ubi.</sup> mire esset pecuniarum avidus, tali disticho.

*Major hydrops animum tenuit, quum viveret: auri  
Haud ullo potuit tingere fonte sitim.*

56. *Kilianus Germanus*, ex Comitatu Dockhenburgensi natus, eligitur apud Raperswiliam prope lacum Tigurinum. Erat vir egregiæ formæ & staturæ, mitis & humanus erga omnes omnium ordinum homines. Habitabat in oppido Wil, propter suorum temporum tumultus ac mutatam in oppido Sangallensi religionem. Postea cum videret, in doctrina omnia ubiq; mutari, secessit Uberlingum, ubi consecratur ab Episcopo Constantiensi. Proficiscitur anno 1530. ad Comitia Augustana, ubi agebat coram Carolo V. Imp. ea, quibus ei opus erat ad recuperanda ea, quæ amiserat: sed inde rediens periit in Bregantio fluvio miserrime, ipsa 30. die Augusti, cum maximo suorum luctu & planctu, cum post electionem vixisset 15. saltem mensibus & aliquot diebus. Sepelitur in Augia Brigantina cum honorifico monumento.

57. *Diethelmus Blaurerus*, à Wartensee, ex nobili & antiqua familia ad lacum Acronium natus, eligitur anno Christi 1539. vir pulchræ & proceræ staturæ, corporis robusti & grandis, animi vero lenis ac humanissimi. Restituit Basilicæ Sangallensis ornamenta & ceremonias, præsidens Abbatia ac ditioni Sangallensi diligenter & summo studio hoc adhuc currente Jubileo.

✻ ✻ ✻  
**S** GEORGII monasterium, quod est intra murosurbis Augustanæ, ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, fundatum legitur anno Christi 1135. absolutum vero anno 1142. à Walthero, Comite Palatino Tubingensi & Episcopo Augustano, ejusque Canonicis in honorem S. Georgii martyris. Est in ejus coenobii templo præclarum sacellum familiae Herwartorum cum talibus inscriptionibus.

Hbb 3

Geor-